Miſcellania quædam

EIUSDEM AUTHORIS.

Quibus etiam acceſsit,

THRENODIA

In MEMORIAM Fratris

Ferdinandi Fiſheri Turmárum Equeſtrium

Anglicè Serjant-Majoris.

ODE GALLICA

DECANTATA.

119

UMI

Ad Illuſtriſsimum & Eruditiſsimum *Virum*, maximum
ſui nominis *Exemplum*, noſtrique ſæculi *Coriphæum*,
GVILIELMVM LENTHALVM,
Armig. &c.
diutiſsimumque.

Parlamentorum Dictatorem, vel Proloquutorem
Pereloquentiſsimum.

MAgnorum laus alta Patrum! Prægrande Senatus
Os, Pectuſque Tui! Populi proh maxima cura
Et Patriæ nutantis honos! Quem vidit, & audit
Multos dudum annos toties ſtupuitque loquentem
Anglus, & innumeros agitantem pectore curas;
Pone precor Radios, gravidóque aſſuete Cothurno
LENTALE Fiſheras da poſſe accedere Muſas:
Da faciles aditus, da ſæpiùs alma tueri
Lumina, & attactæ defigere *Baſia* dextræ.
Tu Muſas, *Vatèmque* fove; Quem Copia tanta
Veſtræ laudis agit; quæ pars aptiſsima Plectris
Hæreo, nec novi, quæ jam Primordia ſumam:
Seu novus Hybleis cum jam de montibus omnes
Induit annus opes, & ſe nitidiſsima cingens

Floribus

Floribus auratos *Natura* reſumit amictus:
Ecce per effuſos turmis coëuntibus agros:
Florilegæ cunctantur apes, quà Sydera parte,
Quid primum guſtare velint, violaria turmis
Num prius obſideant, tremulóve Roſaria ſucco.
Unde ego virtutes tantas languentibus alis
Aſſequar, & fidibus parvis ingentia pandam?
Neſcio quid mirer, quòd noto à Fulmine Belli
Certiùs in Briticis Pacem firmaveris Oris.
Quòd nihil in tanto Regnorum Turbine, Tete
Feceris indignum; tanto Britonumque tumultu
Ipſe quòd incuſſus ſteteris; dum pondere juſto
Omnia collibras animi, Téque omnibus unum
Objicis attritum curis; Quæ Brachia centum
Quis *Briareus*, Hydrà aut (vario creſcente cerebro)
Tot ſimul objectis poſſit confligere Rebus?
O quoties! tenero cum nondum *Phœbus Eoo*
Æquoreis remeâſſet aquis, quæ Turba *Clientum*
Ante *Fores* reſonis ambibant atria votis?
Cinctus ab Agminibus Quorum, *Tu* fronte ſerenâ
Accipis omnigenos; nec *Te* licet undique Curæ
Circumagunt, vigiléſque jubent tranſcurrere noctes,
Vidimus irato ſtringentem lumina vultu.
Nec Pectus terrena movent, externaque frangunt,

Dum

Dum mens immergit per tanta negotia felix
Par ſemper ſimiliſque ſui ; ſic Plurima quanquam
In mare ſublapſos detrudunt flumina fluctus,
Hoc *Nereum* ſentire pudet, nec ſurgit in altum
Plenior, aggeſtane, tumet torrentior undâ.
Tale meas *Æquor* Populis ; *Exemplar* honeſti ;
Virtutum manifeſta *Pharos* ; venerabile *Pignus*
Angligenis ; magni ſenſus, Pectuſque Senatus.
Quem non ambigui faſces, non mobile Vulgus,
Non Enſes, non Caſtra movent ; ſublimior omni
Qui vitio, menti certâs imponis habenas,
Spémq; Metumq; domas, animi candore triumphans.
Nec tibi veſanos Scelerata *Licentia* luxus
Suaſit, nec pravi ſequeris veſtigia Secli.
Te Pietas nullo docuit liveſcere fuco ;
Nunquam falſa loqui, nunquam ſub pectore virus
Condere, vel lætam fraudi prætendere Frontem.
Nec Te blanda quies, nec Te nocitura fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ obnoxia ſemper
Corporis illecebris, hebetat caligine ſenſus,
Membraque *Circæis* evirat maſcula Philtris.
Quis veſtri *Eloquii* vires *ſuadamque* fluentem
Non ſtupet ? heu *meritis* quales debentur honores ?

Excubiis Quæ dona tuis? Hæc *Anglia* tota
Eloquio ſervata Tuo, pergrata reponat
Serta, & perpetua cireundat Tempora lauru.
Macte amor, & cæci toties *Cynoſura* Popelli!
Lex Patriæ, & *Lux* almæ Tuæ! Tibi ſtamine longo
Fata Dies meliora ſerant, tibi prodiga vitæ
Sors fluat, & *Pylios* tranſcendat Pulveris annos;
Ut tandem longæ poſt ſæcula longa ſenectæ
Aſtra petas patrioque procul tollaris *Olympo*,
Larga ubi latifluo paſsim torrente redundant
Gaudia nec fines novit diffuſa *Voluptas*.

IN ERVDITISSIMI ORNATISSIMIQVE VIRI Dom. BENLOSII THEOPHILAM: Obitérque De Nonnullis Opuſculis ab Ipſo *Elucubratis.*

HEderis nec egent vænalia Vina:
Satque ſuâ Gemmæ genuinæ luce coruſcant.
At, BENLOSE, meam nè dedignere Thaliam,
Neve coli leviore Lyra, Fidibúſve remiſsis.
Craſsiùs obſcuris interdum cingitur aſtris
Stelliferi *Regina* Poli; vicinàque ſerpit
Inter honoratas infelix Spina *Cupreſſus.*
Muſarum, *Martiſque* Decus! Quem *Pallas*, & Ipſe
Caſtalii Lucina Chori de Matre cadentem
Suſtulit, appoſitis àdmovit & Ubera Mammis.
Annè novi veteriſque prius Monumenta revolvam
Ingenii? an Tragicos ſuperantia Carmina Soccos,
Atque *Sophocleis* numerari digna *Triumphis*?
Quam bene monſtriferas Vitiorum diſcutis Hydras?

Carminibuſque

UMI

Carminibuſque doces, quàntum peccaverit Ævum,
Quanta Polucephalis repſerunt agmina Sêclis.
Sphinge *Theologicâ* quæ dia Poëmata pangis!
Pectine dum volucri perſtringis cuncta, facetis
Ingenii ſalibus *nodoſa* *Ænigmata* ſolvens.
Iſta revolventem me totum corripit ardor
Entheus, en ſtrato videor diſcumbere Olympo
Et *Ganymede* novo, porrectâ ſumere Dextra
Immortale Merum, quod tu, *BENLOSE*, miniſtras.
Nec Vitæ pars ulla perit; nec tranſigis unam
Ingratam ſine *luce* Diem: dum pervigil artes
Exantlas, avidíſque bibis Permeſsida labris.
Hinc alii redeunt *Fructus*, aliique *Labores*
Typographis, & *Te Dominum*, *Vatémque* ſtupeſcunt
Jamque, velut primo *Phœnix* revocatus *Eõo*,
Apparet noſtris nova *Sponſa Theophila* terris
Gemmiferis induta vadis, nitidíſque Smaragdis
Quæ tulit auratis *Tagus*, & *Pactolus* arenis.
Illius è roſeis flammatur *Purpura* Malis,
Et Gemmis lux major ineſt, & blandius Aurum
A Calamo, *Generoſe*, tuo; dum Dotibus amplis
Excolis, Ingeniíque Opibus melioribus ornas.
Lactea Riphæas præcellunt Colla Pruinas;

Fronte

Fronte Decor radiat, ſacróque Modeſtia Vultu:
Suada verecundis & *Gratia* plena labellis
Aſſidet, & caſti mores imitata Poetæ
Te *Dominum*, fuſis *Sponſúmque* amplectitur ulnis.
Hiſce triumphatrix decorata *Theophila* Gemmis,
Celſior aſſurgit, Mundumque nitentior intrat,
Virgineis comitata *Choris*, Quam tramite longo
Agmina *Cecropiis* ſtipant *Heliconia* Turmis.
Non aliter, quoties adremigat Æquoris undas,
Extremumque petit Phœbæa Cubilia *Tethyn*
Frænatis *Neptunus* Equis: fluit ocyus Antris
Nereidum Gens tota ſuis; Dominumque ſalutant
Mollia cæruleo figentes oſcula Collo.
Felix Tu tali *Sponsâ*, *Benloſe*, beata
Benloſio Tu *Sponſa* Viro Laus cujus in Orbe
Clara revireſcet, nullôque abolebitur Ævo.

Ad Amicum mihi Chariſſimum H. D.

FLorida contiguis coaleſcit frondibus arbor:
Sed modò marceſcens, & mox moritura fatiſcit,
Vicinis viduata comis. Sic triſtis hirundo
Dum ſocio deſerta ſuo, quam mœſta Caminis
Sola ſedet, caſſis & provocat aſtra querelis!
Sed tandem conſorte ſuo redeunte, vagatur
Per vacuum, & ſcindens ſublimibus æthera pennis,
Mirifico humanos mulcet modulamine ſenſus.
Sollicitudo animi peſtis, vàcuæque Cavernæ
Nubilaque, obtenebrant mentem, morboſque trahentes
Squallida luctificis glomerant præcordia curis.
Sed fugat ærumnas iſtas præſentia Amici
Societaſque tui; alternis levis acta videtur
Sarcina ſuppetiis; ſic, ſic, conſortibus æquis
Atque Sodalitio Comitum & conamine collo
Mœſtitiam leviore feres, ſociiſque jocoſus,
Languida recíprocis ſolabere corda Camænis.

EPI-

EPITHALAMIUM

In Connubialia Avunculi Chariſsimi Col.

TH. TOMKINS,

& Nobiliſsimæ

LUCIÆ NEALI.

SOl qui quadrujugo metiris Sydera Gyro,
Cingis & effuſi flammantia Mœnia Mundi,
Sparge diem meliore Comâ, facibuſque coruſcis
Indue *votivas* Tedis ſolennibus *horas*.
Túque adſis picta tranans vaga Cærula Concha
Quam volucrum pennata cohors comitatur amorum,
Magna *Venus* veſtro *Tomkino* lætior adſis;
Adſis *Olorinos* aptans in fræna *Jugales*.
Æoniaſque procul fugias cum matre latebras
Progenies *Phœbi* cui Connubialia Curæ.
Prome Tuas *Hymenæe* Faces quibus Ille CUPIDO
Ventilet optatum Thalamis coeuntibus Ignem.
Sed quid Vota vagus fundo puerilia? cum nec
Sit Votis Precibuſve locus; quando omine tanto
O *Tomkine* Tuis arrident Sydera *Tedis!*
Cerne maritato ut ſociatur machina mundo,

Lætaque

Lætaque Cognatæ Veneris referentia mores
Æquora ſtrata ſilent blandumq; hortantur Amorem.
Æmula dum veſtros *Tomkini* ſpectat honores
Exanimis *Natura* ſtupet, veſtróque laborat
Exemplo ad ſimiles hortari animantia flammas.
En Tellus fæcunda parit, gremióque feraci
Fundit odoriferos flores, aſpergine *terræ*
Aſtringens glebas, & *Cœli* rore *maritans*
Aſpice quam tacito coeunt clamore *Columbæ*,
Et cementatis immiſcent oſcula roſtris,
Et *Venerem Vegetiva* colunt, omniſque viciſsim
Felix arbor amat, dum mutua brachia pandunt
Nexibus implicitis, coeunt in chara *Cupreſſi*
Fœdera, Populeæ ſuccumbit *Populus* umbræ,
Vitibus & Vites, Alnoque aſsibilat Alnus.
Hos docuit *Natura* Faces; præſcripſit & illis
Blandula, Concubitus licitos *Veneriſque* receſſus
Veſtra, ſed (O Socii) novâ Connubialia *Cœlum*
Molle parentavit, tantoque indulſit Amori.
Creſcite *Vos Animæ* Concordes! unde beâto
Fœdere depulſis peragatis Somnia Curis.
Incolumes *Vos* longa Quies, *Vos* Pacis Oliva
Ambiat, & meritis circundat *Tempora* vittis.

EX-

EXEQUIAE

Viri Generosissimi

IOANNIS CHICHESTERII,

Gubernatoris de *Derry*, Militum Tribuni, &c.

Et Illustrissimi Domini *ARTHURI*, Comitis *Dongalliæ*, &c. *Fratris* Natu Secundi.

QVI

Vitæ } Integritate
Morum } Suavitate
Virtutis } Magnanimitate } Coetaneos omnes Juventutis suæ, multis Parasangis præcessit.

Quique postquam

A { *Peregrinationibus* omnifariam *Politiam*,
Pace veram *Pietatem*,
Bello Triumphorum *Panopleam*, reportâsset,

NESCIO QVO

Equi ferocientis infortunio in Stagnum *Molundinis* vorticosum collapsus, expiravit, & Corpus Solo, Animam Coelo resignavit, Mense *Aprilis*, 1643

M*Elpomone* Pia pande Lares, & Triſte*Sonores*
Parnaſsi Pæana ſonent; aſſurgite *Nymphæ*
Undique *Fluminеæ*, & noſtro indulgete Dolori;
Mœſta *Lyram* plorans ſuſpendat *Hibernia*, *Plectrum*
Rauciſonumque gemat. Proh *Chicheſterius* Ille
Occidit Infelix primiſque abſcinditur annis.

Flebile *Belfaſtum*, nec non *Strandmellius* Ille
Imbribus ora rigat lachrymiſque humectat abortis,
Stagna Molundini Quibus (heu!) *Chicheſtrius* Ille
Occidit Infelix, primiſque abſcinditur annis.

Ille Patris Fatriſque ſui gratiſſima Merces;
Ille Senum fæcundos Amor, *Juvenúmque* Voluptas;
Cujus ab antiquis *Proavis* Tituliſque vetuſtis
Floruerat Fortuna *Domus*, & Stemmate longo
Surgebat cumulatus honor; *Chicheſtrius* Ille
Occidit Infelix, primiſque abſcinditur annis.

Sic cum Mane novo Croceis ſurgentia Campis
Germin fæcundos Apices, & Culmina tollunt
Florida, & expoſito jactant faſtigia Cœlo:
En! cùm longa dies per aprici Sydera Cœli
Surgit, hiuleatos & torret *Sirius* Agros,

Marceſunt

Marceſcunt penitus, tantæ Impatientia flammæ,
Acclinantque comas, Terraque cacumina condunt.
Et nunc unde Tuis aptem Præconia factis?
Unde ſequar tantas Laudes? veſtigia quærens
Diſtrahor; Hinc *vires* ſtantes in margine vitæ;
Illinc *Temperies* ſubit; indè *Modeſtia* vultus,
Et *Pietas*, tenero & *Probitas* maturior ævo.
Scilicet *Ipſe* alios prægrandi Robore mentis,
Anteibat quantùm præcellit clara minores
Luna Faces, noſtros vel provocat *Heſperus* Ignes:
Sic clarus *Juvenis* Vultu Greſſuque decoro
Omnigenos *Satrepas* magnis ſuperaverat auſis.
Sæpiùs atrato *Quem Mavors* turbine Belli
Fumanti conſpexit Equo, flammataque tela
Vibrantem, & tremulæ ſparſum ſudoribus *haſtæ*.
Sed proh Fata *Bonis*, & Sors ſurgentibus auſis
Rara Comes! nec clara *manus*, nec *Stemma*, nec *Ætas*
Flectere perverſæ valuerunt ſcamina *Parcæ*.
Occidit en nobis Magnus *Chiabeſtrius* ille
Occidit Infelix, primiſque abſcinditur annis.
Sic *Quercus* formoſa ſuæ modò Gloria *Sylvæ*,
Quæ *Boreæ* ſecura minas, ſævaſque bipennes
Pertulit, horrificis & riſit *Oriona* nimbis;

Fulgure

Fulgure proh Cœli vulsis radicibus icta
Deficit, & terram spatioso stipite signat.
In *Nemoris* morem sic dum sublimia tendit
Brachia celsa Domus, decus & virtutibus auget;
Ecce Novercali Fato, seu *Surculus* alter
De *Trunco* trahitur, *primisque abscinditur annis.*
Hæc tanti Fortuna *Viri*, cui *Fama* Nepotes
Venturos tanget, nulloque tacebitur ævo,
Quæque triumphatrix ibit trans Æquora, transque
Anglorum Fines *Hibernorumque* recessus.

In Nuptias Juvenis Ornatiſsimi

RICHARDI BROVVNLOVV,

Filii natu maximi Nobiliſſ.

GVILIELMI BROWNLOE,

Equitis Aurati, &c:

ET

Spectatiſsimæ Virginis

ELIZABETAE FREKE,

Filiæ Nat. Max. Illuſtris Heroinæ, Dominæ

COVETÆ, &c.

Sit fælix fauſtumque precor.

SParge Toros *Hymenæe* Roſis, ac Tecta vapore
Idalio late, *Syrio* & odoribus habent:
Cùm *Sponsâ* jam *ſponſus* adeſt; expiret *amomum*,
Tota Domus, quacunque intrent, ſpiſſæque *Ciliſſæ*,
Ambroſiis ſuccis, *Phariique* aſpergine nimbi.
Fundat humus violas, biferique Roſaria *Paſti*

Auratis Calathis *Ægele* formosa reponat
Temporibus nectenda tuis, clarissime *Sponse*,
Digneque *Pierii* Frontem vestire corymbis.
Tuque Decor, sexusque tui pulcherrima *virgo*
Gloria, quæ *MAIREM* celebrem virtutibus æquas,
Et genii candore *PATREM*; quæ stemmata *Avorum*
Illustras per utrumque genus, *SUSSEXIA* quosque
DUROTRIGES peperere suis fæliciter agris.
Tu quoque *Brownleadum* decor, & fortuna potentum
Quos videt innumeri *Dominos LINCOLNIA* vici,
Chare tuam *RICHARDE* memor complectere *Elizam*
FREKIADUM de gente satam, cui nomen abunde
Creuit, & *occidiuis* longum memorabitur oris
Patria te talem jactet genuisse *PUELLA*
Qualem rara tulit priscis heroibus ætas,
Ipsa nec *EUROTÆ* viderunt flumina nimpham,
TAYGETI aut juga virgineis lustrata choræis,
Se Iunone *SAMOS* iactet, se Pallade Athenæ
Te *Cyprus Cytheræa* colat, juga *Cynthia* Phæben
Sed se nostra tuis olim natalibus ornet
Inter *Surricas* fælix *Peperharria* sedes colles
O quantum splendoris honos in imagine surgit!

Mascula

Maſcula purpureis quæ gliſcet gratia malis!
Quis decor inceſſu, cum longum incedat *ELIZA*
Virgineis comitata choris, & lumina blanda
Spargit in ora *Viri*, qualis cum veſpere claro
Oſtendit croceos rutilans *TITHONIA* crines!
Quis decor inceſſu *Juveni* cum lumina *Sponſæ*
Vibret in ora ſuæ, qualis cum *TITAN* Olimpo
Immerſos revocavit equos, & mane rubenti
Progreditur, nitidoque faces diffudit Olimpo.
Nec mora tempus adeſt; & adeſt jam *Sponſa* lacertis
Præda placens *Richarde tuis*, jam pone pudorem
Et per pulchellas bacchere impune papillas:
Candida *Marmoreum* circundans brachia collum;
Mellaque *Cecropiis* eufugens oſcula labris,
Nullaque pacificos abrumpant iurgia ſomnos.
Vtque hymen Herculeo conjunxit corpora nodo,
Sic animos fine fine *FIDES*, longumque coronet
Firmus *AMOR*, caſtique comes *concordia* lecti;
Et decimum poſtquam complevit *Cinthia* menſem
Parturias tu ſponſa *Marem*, Qui inſtauret *Avorum*
Stemmata, & illuſtres referat pietate *PARENTES*,
Fœcunde *LATONA* faces, *LATONA* quotannis.

UMI

Fœcundet tibi *Elizæ* Torum, Placituraque nutrix
Crebra ſoporifero moveat cunabula cantu; (Propago
Ut lepidi reptent pueri, ludantque per Aulam
Curriculis *GVLIELMI* Tuam, & numeroſa propago
BROVVNLOADUM indigenam faciat de nomine Gentem.